



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Manuale Pastorum Sive Instructio Practica Neoparochorum

Dirckinck, Johann

Treviris, 1702

Dedicatio Et Oblatio Ad Dominum nostrum Jesum Christum Pastorem
bonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51873)



DEDICATIO

ET

OBLATIO

Ad Dominum nostrum IESUM
Christum Pastorem bonum.

DOMINE IESU Christe,
Conditor benignissime Redemp-
tor amantissime, Pater & Pa-
stor potentia, sapientia & Boni-
tatis infinita; modo em inextissi-
mo ac perfectissimo boni Pasto-
ris officio perfundēte: ad quemnam alium exi-
guam hanc lucubratiunculam meam, oblatum
demissimē veniam, quā ad te Creatorem &
Redemptorem; Principium & finem; Pasto-
rem & Episcopum animarum nostrarum, I,
Petri 2. cui mille titulis, omnis labor noster,
omnis industria, omne studium, omnis memo-
ria, intellectus, voluntas, oculi, manus, pectus,
& quicquid sumus aut valemus, ex asse debe-
tur;

A 3

Tu

Tu enim es primum principium nostrum ;
 utpote Creator noster, Conservator noster, Gu-
 bernator noster, Provisor noster, Protector ne-
 ster: à quo data nobis corpus & anima ad essen-
 dum, vita & sensus ad percipiendum, cognitio
 & lumen ad intelligendum, affectus & voluntas
 ad agendum, facultas & gratia ad scribendum,
 sapientia & prudentia ad dirigendum, via &
 meta ad ambulandum & perveniendum. Tu
 ut scribit Doctor Mellissus L. 5. de Consid. c. 11.
 Voluntas omnipotens, benignissima virtus, lu-
 men æternum, incommutabilis ratio, summa
 beatitudo; creans mentem ad se participandum;
 vivificans ad sentiendum; afficiens ad appeten-
 dum; dilatans ad capiendum; justificans ad pro-
 merendum, accendens ad zelum; fecundans ad
 fructum; dirigens ad æquitatem; formans ad
 benevolentiam; moderans ad sapientiam; robo-
 rans ad virtutem; visitans ad consolationem;
 illuminans ad cognitionem; perpetuans ad im-
 mortalitatem; implens ad felicitatem; circum-
 dans ad securitatem. *Cum igitur à te fonte in-
 exhausto, fluant omnia; annon æquum est, ut
 flumina unde exeunt, illuc quoque revertantur?*

Tu es Finis noster ultimus, quies nostra, sa-
 lus nostra, beatitudo nostra, æternitas nostra;
 atque ut cum Magno Augustine loquar L. 1. conf.
 c. 4. Deus noster summus, optimus, maximus,
 sempiternus, potentissimus, & benignissimus;
 misericordissimus & justissimus; fortissimus &
 pulcherrimus; simplicissimus & perfectissimus

Pastorem bonum.

5

immensus & incomprehensibilis; invisibilis & immutabilis; mutans omnia; semper agens, semper quietus; colligens nec egens; creans & nutriens; & perficiens; portans & implens, & protegens; *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ad quem omnia, propter quem omnia.* An non ergo par est, ut ad metam ad eò nobilem, ad finem ad eò sublimem, omnia molimina nostra, omnia studia, conatus & opera dirigantur?

Tu es Salvator noster, Redemptor noster, Rex noster, Susceptor noster, Sanctificator noster, Illuminator noster. Adjutor noster, Doctor noster, à quo tota redemptio nostra & salus, sanctificatio & illuminatio, doctrina & cognitio, auxilium & instructio profuit: in quo omnes perfectiones, omnes virtutes, omnia charismata, dona & attributa eminentissimè & perfectissimè continentur: Es enim, O Servator mi. O magne Deus! incomprehensibilis bonitas in tua essentia; es inscrutabilis profunditas in tua sapientia; inaccessibleis altitudo in tua eminentia; ineffabilis latitudo in tua charitate; infinita longitudo in tua æternitate: simplicissima puritas in tua sanctitate: absoluta immensitas in tua magnitudine: caligo lucidissima; solitudo abundantissima; simplicitas perfectissima: tibi & Beatis omnibus paradus & coelum, æterna vita, æterna requies, æterna beatitudo, & omnium bonorum infinita plenitudo; e qua tot rivulos salutare vi pretiosissimi sanguinis tui, & efficacia passionis ac mortis tuae, in nos copiosè profundere

6 Dedicatio ad Christum

non dedignaris. Cui igitur alii, Salvator mi, exile obsequium & servitium, laborem & industriam tenuem, offeram & substernam, nisi tibi, captivus redemptus Redemptori, Subditus Regi, Coecus Duci, Indigus Adjutori, miseria Beatitudini caligo Luci, impuritas Sanctitati?

Tu es Pastor verè bonus tam corporum, quam animarum nostrarum: Tu enim à iuventute corpora nostra, tot ex aère volucribus: tot è mari & flumine piscibus; tot è terra feris & animantibus: tot insuper oleribus, legumenibus, frumentis, & fructibus pascis & reficis. Tu animas nostras pascis & sustentas, tot internis illustrationibus & inspirationibus: tot praclaris Servorum tuorum exemplis & virtutibus: tot zelosis concionibus & exhortationibus, tot libris spiritualibus & instructionibus; tot sacrificiis & synaxibus; corporisq; ac sanguinis tuè pretiosissimi delicatis refectionibus.

Tu non solum nos tam variè, opiparèque pascis, ac dapibus praestantissimis recreas; verum etiam alios pascendi facultatem, virtutèque nobis impertiris: nam & nos voluntate tuà & ope, tum in Verbi tui divini predicationibus, & catechismis; tum in Gymnasis & scholis, tum in Aedibus sacris & Exhomologeteriis; virtutibus & scientiis; bonis artibus & moribus; caelestibus doctrinis, divinisq; eloquiis; panis vitæ delicis, efficacibus Sacramentis, ac veritatibus aeternis, oves tuas à Te nobis commissas, pascimus & enutrimus.

Tu

Pastorem bonum. 7

Tu non tantum nos pascis, pascendiq; alios gratiam tribuis; verum etiam, ut Pastorem decet strenue protegis: tu enim nos à Daemonibus & Spiritibus malignis tueris: tu ab hominibus inimicis nostris nos custodis: tu in omnibus tentationibus, salutisq; aeternae periculis, ne succumbamus aut pereamus, fortiter nos defendis & oculos morbidos sanitati restituis, labantes tenes, lapsas erigis, sordidas abluis, errantes revocas, pedoq; pastorali percusiens, ad caulam gregemq; clementer reducis.

Ad hac, quod certissimum est boni Pastoris, & amoris in nos ardentissimi indicium; Tu pro ovibus tuis; generoso pectore, arumnis, adversitatibus, durisq; laboribus te objicis, mortis periculis ultero te expenis; noctes in desertis & montibus per vigilas; humi & sub dio cubas; famem, sitim, frigora, calores, ventos & pluvias libens toleras; vias asperas & montosas nudis pedibus percurris: quin &, quo eas à leonibus & lupis infernalibus eripias; verbera, vulnera, tormenta, & mortis dirissima ac probrosissima supplicia non recusas. Verè Pastor bonus, animam ponens pro ovibus. Ioan. 20

Cum igitur, O Pastor amantissime! & ego ovium tuarum minima, & indignissima, universa haec à te beneficia, eaq; longè maxima acceperim; quid obsecro beneficentiae & liberalitati tanta rependere poterò? An non aequissimum est, ut quemadmodum oves irracionales Pastoribus suis, lac, lanam & carnem rependant; ita

8 Dedic. ad Christ. Pastorem bonum.

ego quaeque ovis tua rationalis, lac, lanam & carnem; id est labores, sudores, studia, opera, unà cum corpore & anima, Tibi in animi grati signum, quàm demissimè dedicem, consecrem, & devoteam?

Suscipe igitur, Pastor optime, Conditor & Redemptor beneficentissime, in quale quale, animi grati in memosynon, tenuem hanc opellam meam, & laborem omnem; quem te, ut confido, inspirante & adjuvante, praeventiente & comitante, pro nominis tui gloria, & proximorum salute suscepi. Atque ut fructus operatus respondeat, Te, per infinitam, quo oves tuas prosequeris, amorem, oro atque obtestor; ut super omnes animarum Pastores, libellum hunc lecturos, gratiam copiosam ac benedictionem effundas; eorundem intellectum illumines, & affectum inflammes, ut qua legunt, intelligant; intellecta diligant, dilecta, pro viribus, opere exequantur: quo oves sibi commissas tam sedulo ac serio pascant; ut in supremo iudicii die, in valle losaphat, cum illis constituri, in veritate asserere valeant: Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit. Ioan 17, 12, atque ita cum universo grege suo, in pascuis caelestibus pinguis & uberrimis, Te Creatore & Redemptore, Principio & fine, Pastore & summo Bono suo cum gustu & gaudio ineffabili, aeternum perfruantur.

PRÆ-